

transverso faciendum in arca illa Noë justo dictum est: in qua vel Ecclesiae, vel nostri figura est corporis, per quod ostium egeruntur reliquiae ciborum. Ergo naturae opifex sic nostrae studuit verecundiae, sic decorum illud et honestum in nostro custodivit corpore, ut velut ductus quosdam atque exitus cuniculorum nostrorum post tergum relegaret, atque ab aspectu nostro averteret, ne purgatio ventris visum oculorum offenderet. De quo pulchre Apostolus ait: Quae videntur, inquit, membra corporis infirmiora, necessaria sunt. Et quae putamus ignobiliora esse membra corporis, his abundantiore honorem circumdamus: et quae inhonesta sunt nostra, honestatem abundantiore habent.<sup>1)</sup> Etenim imitatione naturae industria auxit gratiam. Quod alio loco etiam altius interpretati sumus, ut non solum abscondamus ab oculis, verum etiam quae abscondenda accepimus, eorum indicia ususque membrorum suis appellationibus nuncupare indecorum putemus. Denique si casu aperiantur hae partes, confunditur verecundia; si studio, impudentia aestimatur. Unde et filius Noë Cham offensam retulit, quia nudatum videns patrem risit. Qui autem operuerunt patrem, acceperunt benedictionis gratiam. Ex quo mos vetus et in urbe Roma, et in plerisque civitatibus fuit, ut filii cum parentibus puberes, vel generi cum soceris non lavarent, ne paternae reverentiae autoritas minuere-  
tur: licet plerique se et in lavacro quantum possunt tegant, ne vel illic, ubi nudum totum est corpus, hujusmodi intacta sit portio. Sacerdotes quoque veteri more, sicut in Exodo legimus, brachias accipiebant, sicut ad Mosen dictum est a Domino: Et facies illis brachias lineas, ut tegatur turpitude pudoris. A lumbis usque ad femora erunt, et habebit eas Aaron et filii ejus, cum intrabunt in tabernaculum testimonii, et cum accedent sacrificare ad aram sanctuarii, et non inducent super se peccatum, ne moriantur.<sup>2)</sup> Quod nonnulli nostrorum servare adhuc feruntur, plerique spirituali interpretatione

---

1) 1 Cor. 12. 2) Exod. 28.